



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IV. Quid Invidia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

4. Inconstantia; quando quis ex eodem affectu voluptatum à piis propositis mox deficit.

5. Amor sui; talis enim homo ob voluptatem ipsum finem suarum actionum facit, non Deum.

6. Odium Dei: lascivus enim solet à rebus divinis abhorrere, imò ab ipso Deo, tanquam peccatorum vindice.

7. Affectus presentis sæculi: amor enim voluptatum carnalium ita animum afficit, ut subinde etiam beatitudini æternæ paratus esset renuciare, si presentibus frui permetteretur.

8. Horror futuri sæculi; quando voluptatibus immersus, mortem inordinatè timet, & de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagandæ audit, &c.

Priores quatuor sunt mortales, quando finis ultimus in Creatura ponitur: vel præceptum aliquod Dei graviter obligans, præmittitur. Posteriores quatuor, sit plenus si voluntatis consensus, per se sunt mortales, ex indeliberatione, vel alia actuum imperfectione, sæpe veniales. *Esob. & Baldell. ll. cc.*

DUBIUM IV.

Quid Invidia?

Resp. Est tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ, ita ut hæc directè sit contra charitatem, hæc enim gaudet de bono proximi, quod invidia destructum optat; vel non destructum dolet. *Vnde resolves,*

Leff

I. Est ex genere suo mortalis : & gravissima quidem , atque in Spiritum S. si sit de ipsa gratia, vel auxilio Dei.

II. Filiz similiter ex genere suo mortales sunt, ac numerantur hæ : 1. Odium. de quo supra. 2. Detractio, de qua in *prac.* 8. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Sufurratio, quæ est oblocutio mala de proximo, ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis, quam proinde sufurro restituere tenetur, & iterum reconciliare, non secus ac detractor famam, v. in *prac.* 8.

III. Si tristitia sit de bono alterius, in quantum ex eo tibi vel aliis times nocumentum, v. g. inimicus tuus est evectus ad officium, ut tibi facilius possit nocere, non est invidia sed timor, qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus. *Laym. l. 3. t. 3. c. 10.*

IV. Si tristitia sit ex eo, quod nobis desit bonum, quod alter habet, ita tamen, ut illud alteri non discupiamus, non est invidia, sed æmulatio, seu zelus : qui si est circa bonum honestum, est laudabilis, si autem circa temporalia, interdum est veniale ; ut si bonum dolenti sit improporcionatum, quale esset, si rusticus doleret se non esse Regem. *Laym. l. 3. t. 3. cap. 10. num. 2.*

V. Si tristitia est ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio ; quæ non est peccatum : erit tamen, & quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat, (estque blasphemia) vel si ita afficiat, ut dicat homines ad malum imitandum. *Cajus. Laym. l. 6.*

VI. Si

VI. Si doleas, quod alter tibi æqualis, vel non multum inæqualis, in excellentia crescat, ita ut fiat superior & ipsum incrementum excellentiæ apprehendas, ut tibi malum, est propriè dicta invidia: invidus enim dicitur, quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. *Bald. d. 29. l. 3.* & sic peccare solent, 1. Ambitiosi, & qui ex re aliqua quantum gloriam, quam cum in eo ponant, ut in illa re sint soli, ac singulares, dolent & tristantur, si alii accedant. 2. Pusillanimes, quibus cum omnia videantur magna, quo vis bono alterius putant minui suum: sic mulieres v.g. facillè apprehendunt, ac dolent, se superari bono alterius, v.g. modestate. 3. Senes respectu juvenum, & quicumque aliquid difficulter obtinuerunt, quod alii facillè consequuntur, *Bald. loc. cit.*

VII. Qui in adversis suis, vel ob aliorum prosperitatem, optat se non fuisse natum, vel se brutum animal factum fuisse, vel diem esse maledictum, quo natus est, vel alterum primò vidit, aut conjugem accepit, si tantum intendat maledicere irrationali creaturæ, v.g. diei (sive sit natiuitatis, sive conjugii) qui tot mala culpæ, vel pœnæ protulit, videtur esse tantum ventale (aliquando etiam nullum, ut Jobi) si autem deliberatè intendat optare malum homini, sive sibi, sive alteri, illo die natis, vel conjugatis, mortale est. *Escob & Mar-*

chari man, cap. 3.